DE HYDROCEPHALO ACUTO INFANTUM DISSERTATIO...

Giovanni Patellani

DE

HYDROCEPHALO ACUTO INFANTUM

Dissertatio Inauguralis

QUAM

ANNUENTIBUS

PERILLUSTRI FACULTATIS MEDICAE DIRECTORE

SPECTABILI DOMINO DECANO

AC CLARISSIMIS E. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

D^RE CAMILLO PLATNER

MEDICINAE LEGALIS ATQUE POLITIAE MEDICAE P. O.

Ad Medicinae Lauream

RITE ASSEQUENDAM

IN C. R. UNIVERSITATE TICINENSI

UNA CUM TRESIBUS PROPUGNANDIS

Mense Septembris 1840

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

JOANNES PATELLANI

GENUENSIS.

TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA BIZZONI

1840.



MEDICA BIBLIOTECA IN VENEZIA

MEMORIAE **CAROLI PATELLANI** JVRIS CONSVLTI

MEDIOLANENSIS SENATORIS

BONO POSTERITATIS NATI

QVI EPDERIVM SVO COGNOMINE

DECORATVM

NOBILISVS ALVMNIS AD BONAS ARTES INSTITVENDIS

FVNDAVIT

CAIETANO ATQVE ALOYSIO PATELLANIS FRATRIBVS VV. CC.

ET MARCO VIANIO VICECOMITI V. C.

CVRATORIBVS PATRIMONII HVIC REI ADSIGNATI

OPTIMIS SOLLICITIBVS

DISSERTATIONEM

QVAM LAVREAM MEDICAM ASSECVTVRVS PRAEPONIT

GRATI ANIMI NVMQVAM DEFVTVRI

DEBITVM MVNVS

D. D. D.

JOANNES PATELLANVS.

DE
HYDROCEPHALO ACUTO INFANTUM.

§. I.

Hydrocephalus acutus morbus est ad omnem aetatem extensus; ast infantibus a primo nativitatis tempore ad annum decimum magis insidiat; insuper in individuis junioribus ostendit modificationem peculiarem et talem formam nanciscitur ut inter morbos quibus organismus infantum praecipue favet referri debeat. Qua de re non immerito Neoterici *Hydrocephalum acutum infantum* tamquam morbum habent peculiarem ab Hydrocephalo acuto qui adultos nonnunquam plectit valde diversum, et peculiarem attentionem exposcentem. Dicitur etiam *Hydrops cerebri acutus* — *Hydrocephalus inflammatorius* — *Febris hydrocephalica*.

§. II.

Jam a veteribus medicis notio aliqua habebatur de hydrocephalo acuto, immo nemo, uti ait Bursarius, nemo accuratius Hippocrate descripsisse hunc morbum videtur; nam hisce verbis eum expressit: « si aqua in cerebro fue-

»rit, dolor acutus per sinciput, et tempora e»mergit, alias alio loco, et rigor et febris alias, »et regiones oculorum dolent, et caecutit, et »pupilla finditur, et ex uno duo se videre pu»tat, et si surrexerit, vertigo ipsum corripit, et »ventum non sustinet neque solem, et aures »tinniunt, ac inter audiendum strepitu offendi»tur, et vomit salivam ac pituitam, quandoque »etiam cibos, et capitis cutis extenuatur, at »contacta gaudet (1).« Interea plurimi post Hippocratem de hoc morbo cum laude scripserunt; sed solum aevo praeterito ad finem vergente medici hydrocephalum acutum uti morbum peculiarem recte consideravere. Robertus Whytt (2) gloriam, primam claramque morbi suppeditandi notionem, nactus est. Dein de eo perbelle egerunt Ludwig Wichmann, Fothergill, J. P. Frank, Milmann, Coley, Strambius et alii, quibus lux pro diagnosi et cura morbi summa affulsit.

§. III.

Infantes hoc morbo correpti vivacitatem, hilaritatem amittunt consuetam, morositas in ejus cedit locum, res praedilectae, ludus puerile neglguntur, solitudinem querunt. Faciei rubor cum pallore saepe alternat; oculi naturalem ni-

(1) *Lib. II. de Morb.*

(2) *Observation on the dropsy, in the brain. Edimburg* 1768.

toreio ommittunt: sensibilitas aucta adparet, hinc rebus minimis adfectus provocantur. Ciborum et potuum adpetentia est imminuta, alvi excretio segnis, urina parca mingitur. Ingressus vacillans, somnus inquietus sub pavoribus interruptus, aut fere nullus; juniores dum eriguntur vertigine corripiuntur: si fari puer potest, de capitis atque abdominis dolore queritur. Pulsus plerumque regularis hinc inde debilior intermittens, cutis sicca, congestiones fugaces, horripilationes: suspiria frequenter ducunt et semper meditabundi videntur.

Si paucis post nativitatem diebus aut hebdomadibus afficiuntur, somno penitus fere carent, clamorem edunt subitaneum, stimulum quemcumque vehementius persentiunt, matris ubera recusant, nuchae manum admovent, lintea rarius conspurcant; pauci borborygmi aut nulli; caput, frons praesertim et nucha calent.

Symptomata enumerata prodroma constituunt morbi de quo agimus. Eorum duratio valdopere variat, interdum duo, alias octo, quatuordecim est dierum; nonnunquam imo prorsus deficiunt.

Hisce praegressis, aut infante benevalente, morbus plerumque ingruit signis quae congestionem, aut phlogosim cerebralem denotant. Vehemens dolor manifestatur in capite praesertim regioni frontali cum sensu pressionis in regione supraorbitali ad tempora se se protendente et

sensu tensionis in nucha: magna est aegrotantis inquietudo et summa anxietas, photophobiam ipsam patitur, qua de re palpebrae ei semper sunt semiclausae: nares exsiccantur: caput, frons scilicet et nucha, calorem ostendunt adauctum dum ioiminutus tangitur reliquis corporis partibus; facies collabitur aut oedematosa evadit; pulsant majore vi carotides, cutis arescit. Manus saepe aeger ad caput dirigit, linguam habet muco albido aut brunescenti tectam, sitis atque adpetitus sunt immmuti; dum vomendi nisus in scenam venit et vomitus ipse nutrimentorum cum muco foetidi odoris, si, uti ait P. Frank, *quosdam excipias, quibus, nulla unquam nausea adfectis, ciborum desiderium ad mortem fere usque conservatum est.* Respiratio difficilior suspiriosa evadit, abdomen complanatur, alvus fit obstipa, alius coloris viridis odoris foetidi diarrhoica; urinae parcae secernuntur coloris flavescentis vel turbidae cum sedimento mucoso. Miseri gemunt, lamentantur diu noctuque, somnus nullus aut inquietus, somniatio perpetua, clamores subitanei, dentium stridor. Pulsus parum fabrilis cum exacerbationibus vespertinis.

Symptomata haec ab horis ad dies vel duo, vel decem, vel quindecim observanti se se offerunt, et ais phoenomena succedunt imminutae sensibilitatis, torporis seu paralyseos incipientis Aegrotuli extra lectum non amplius valent com-

morari nec pedibus insistere, neque situm servare arectum, dorso plerumque incumbunt cum capite reclinato, agitato ex uno in aliud latus, contorto. Frequentius manum admovent capiti, ori, naribus nec non in auribus ac si aliquid vellent amovere; saepe brachium alterutrum arete thoraci admotum tenant; lentissime verba amittunt; hinc inde balbutiunt. Sensilitas imminuitur, externi sensus fere extinguuntur, auditu excepto. Facies ita composita, ac si aeger placidissimo somno fueretur, mox pallescens, nunc praesertim ad gaenas rubore suffusa, saepe tumidula. Oculi collapsi, vel in orbita rotantes, lacrymis, ac si fletus immineret, innatantes: pupilla plerumque dilatata, vix contractilis, rerius angustior, cum motu tremulo iridis, quod ab Odier pro morbi signo de quo agitur, exclusive proprio declaratur; strabysmus, diplopia subsequitur. Emaciatio corporis cernitur universalis, cutis sicca, sudores tamen partiales hinc inde avolvuntur, urinae parcae involuntaria mittuntur, alvus fit clausa et nonnisi per clysmata irritantia evacuationes obtinentur. Vomitus in primis, dum corpus erigitur, hac sub epocha plerumque frequentior est; sed aliquando sub illa cessat. Pulsus fit debilior, irregularis, fere semper valde lentus, nonnunquam vero, uti adnotarunt Withering et Jos. Frank celerrimus; lente procedit respiratio, habitus specifice foetidus, testante Gulis, quod alii

numquam observasse ferunt Morositas, ejulatus, clamores subitanei, pavores e somno, dentium stridor, suspiria continuo crescunt.

Hisce symptomatibus, quae de incipienti collectione serosa testimonium edunt, interdum statim subsequitur status perfecte soporosus, cum paralysibus partialibus, dirisque convulsionibus, sub quibus citissime mors locum habet.

Accidit nonnunquam, ut, dum aegri ab aliquibus diebus dictum statum semiparalyticum praebent, corpus erigant, laetiores prospiciant, nutrimenta concupiscant, imoque sumpta retineant; est post horas delassatio mox rediens miserulus lecto affigit, et morbus suo tramite eo celerius pergit, et eo citius mortem affert, quo major apparuerit remissio fallax.

Ast plerumque morbus dicta phoenomena incipientem effusionem denotantia per decem, viginti, rarius triginta praebet dies, donec, adaucta collectione serosa, omnia in conspectum veniant, quae ex pressione cerebri propullulant symptomata Paralyses et convulsiones partiales se produnt; si pulsus elapso studio lentorem assumpserant, hic vix non duplo frequentiores et debiliores in plurimis reddantur. Pupilla magis dilatatur, et omnino insensibilis fit; amaurosis subsequitur cum oculis absque splendore, sordida quasi crusta opertis, aut etiam conspicue rubicundis palpebrae semiparalyticae pendent super bulbum protuberantem. Auditus

etiam fit gravis; delira accedunt continua. Tandem coma vigil in lethargum nunc vertitur: ex quo difficiliter expergefactus aeger, exclamat, et verba vix articulata et incohaerentia profert, subsultus tendinum, paralyses in hoc, in altero vero latere convulsiones observantur: partim ob paralysim musculorum pharyngis, partim pro spasmo, quo caput perpetuo retrahitur deglutitio fit difficilis aut etiam impossibilis. Alvus viridissima, herbacea, saepe nunc liquida, inscio aegro fluit; urinae non percepta mingendi necessitate, aliquando retinentur. Linguae, dentes nigrescunt; sitis magna, color faciei mutabilis, nox ruber, mox pallidus. Extremitates livent ac frigent; et sub ictu cordis tremulo, vix percipiendo, respirio debili et stertente, faciei defiguratione sequitur mors.

§. IV.

Infantum cadavera ex hydrocephalo acuto peremptorum copiosum saepa serum exhibent nunc sub aracnoidea, circa tentorium et foramen occipitale extravasatum, saepius in ventriculis cerebri anterioribus volumine plus minusve auctus collectum. Ubi decursus morbi fuit acutissimus, humor serosus turbidus adparet, et nonnunquam puriformis, aut lacteus visus fuit, quando vero morbi decursus est consuetus humor limpidus cernitur. Fluidi quantitas ad uncias duo quatuor ad sex inventur, quoad

chemicos characteres eum a sero albis in hydropibus collecto differre alii asserunt, negant alii uti Baillie et Soemmering. Justa Berzelium humor ex ventriculis cerebri post hydrocephalum acutum collectus quasi purum sanguinis serum considerari potest, quod maxima albuminis sui parte privatum sit. Ceterum nonnunquam signa adsunt praegressae phlogosis, sive meninges crassiores, inter se cohaerentes, cum lympha coagulabili, pia mater cum vasibus turgidis, ac si arte injecta esset; alias nil de praevio processu inflammatorio testatur.

Hydrocephali infantum acuti phaenomena, quae modo exposui, a morbi initio ad finem sese excipientia non semper adeo distincta cernuntur, aut tam lente evolvuntur, nam interdum morbus post octo dies unum aegrum enecat, dum alterum per dies quadraginta vitam vivere cogit miserrimam, priusquam occumbat. Datur adhuc species quaedam hydrocephali acuti a Gallis *apoplexia aquosa* vocata in qua et prodroma et signa congestionis aut phlogosis cerebralis penitus abesse videntur. Plerumque originis metastaticae in effusionem celeram morbus hicce nititur seri, lymphae, puris aut plurium commistorum in ventriculis cerebri, convulsionibus, paralysi, morte subsequentibus. Et hic hypoclepsi irritatio aut phlogosis cerebralis praecessit, nam cadaveris sectio praegressam turgescentiam aut inflammationem demonstravit.

§. V.

Hac morbi tam magna versatilitate et multiplicitate symptomatum, pro diverso forsitam encephali affecto loco, diagnosis perardua evadit. Sed difficultas hujusmodi praesentiam divinandi ex eo magis est repetenda, quod nullum ex signis hydrocephali acuti adest vere pathognomonicum; singula enim aliis atque aliis morbis et causis, communia esse possunt; et rite ajebat P. Frank, *nullum in hydrope cerebri acuto tam perpetuum, quin aut deesse aut citius tardiusve accedere queat, dari signum.* Et revera symptomata prodroma vel prorsus deficiunt; vel si compareant fere singula, futurum cerebri hydropem, non minus quam alium quemcumque morbum, in primis dentitionem difficilem, indicare queunt. Diagnosis morbi difficilior evadit in infantibus jam prius morbis vexatis aut nunc adhuc detentis, uti: induratione glandularum, digestione labefactata, sordibus primarum viarum, obstipatione aut emesi habituali. Ducent hoc stadio medicum in primis status corporei prioris cum praesenti comparatio, adiaphoria in individuis sensibilitate somma donatis, alvi depositiones rariores parcioresve post diarrhoeas praegressas, urinae parum missae, cutis siccitas in corpore sudori assueto copioso; animus serius, virium diminis-

sio, postquam contraria olim fuerant observata; insuper incessus vacillans, somnus inquietus, pavores nocturni cum clamoribus, oculorum nariumque exsicatio, horripilationes, manus frequenter capiti admotae sunt praecipua signa quae morbum denotant instantem. Quemadmodum vero prodroma symptomata parum lucis hic accendunt, ita et illa quae stadium congestionis aut phlogoseos cerebralis constituere diximus, diagnosis certitudinem haud multum adaugent. Nam puerulorum aetas aut morositas nec paluum quidem explorationem aliquando concedentes, in responsionibus inconstantia, et deficientia non raro symptomata quae certiora viderentur uti capitis dolor, lucis impatientia, vomitus et febris, pro certo infirma sunt fulcra desideratae diagnosis. Quibus addere possumus quod medius hujuscemodi stadii sub signis, saepe illa dentitionis se produnt, densque unus vel alter adeo prorumpit; aut sub continuo narium pruritu, vermes ex ore vel ano quibusdam secedunt. Nec symptomata, quae plerumque da incipiente exsudatione serosa in cerebro testimonium edunt, minus inconstantia sunt et fallacia; quia eadem fere phoenomena, et sub gravi dentitione et sub vermibus, nec non sub cerebelli aut cerebri tuberculis haud raro sese manifestant. *Singula hydrocephali symptomata*, uti narrat laudatus P. Frank, *nec luscos quidem oculorum habitu*

excepto, in duobus infantibus aderant, nec tamen aquae in cerebro eorum, sed in uno ex istis, sanguis effusus, in altero steatomata haeserant. Ultima morbi periodo sane certior est diagnosis; imo, uti asserit Vichmann, pulsus lentus, intermittens cum sopore diagnosim reddunt firmissimam, sed eheu! dum certior quidquam morbi sit diagnosis, spes ferme nulla remanet salutis.

Ex dictis patet quantum difficile sit judicium pronunciare diagnosticum certius primis praesertim morbi temporibus; sed plura adsunt symptomata, quibus etsi singillatim nihil colligere liceat, tamen insimul consideratis, morbus priori etiam decursos ani tempore perspici potest. Talia sunt gaenarum rubor citissime pallore alternans; respiratio valde irregularis nunc concitata, nunc lentissima, nunc de repente interrupta; cornea parum splendens; pupillae dilatatio constans cum motu tremulo iridis; bulbi rotatio in orbita; vomitus saepe sine data causa una cum stipsi; capitis dolor in regione frontali ad occipitalem usque proserpens; frequens manus admotio ad caput; denuo, in ulteriore morbi decursu, pulsus uti jam diximus, lentus intermittens cum sopore. Si plura ex hisce symptomatibus una convenunt, et antecedentia cum consequentibus exacte consentiunt, medicus attentus raro in errorem diagnosticum labitur, et alios morbos

oum nostro, minus ac vulgo creditur, commutare potest.

§. VI.

Acuto hydrocephalo praeprimis proclives cernuntur infantes a quarto mense ad decimum annum qui ingenio acuto ac corpore forti, colloque brevi instruuntur, nec non qui ab utero quamdam haereditariam dispositionem ducunt, uti saltem contendunt Pet. et Joseph Frank, Gohs et alii. Plurimae autem sunt causae quae non solum hasce infantibus sed omnibus hunc morbum excitare valent, nam omnes illius aetatis individui, et pro cerebri volumine relative majore, et pro mollitie omnium hujus organi partium, et pro congestionibus frequentibus huc tendentibus, huic morbo valde sunt praedispositi. Eo quia tam frequentius in infantibus observatur hydrocephalus acutus quam in adultis et quia necessario qui in infantibus evolvitur differre debet ab illo adultos interdum corripiente. Hasce inter causas excitantes recensantur: cerebri vehementes commotiones, instare capiti pedibus sursum directis, volutatio celeris super colles aut plana declivia, capitis refrigerium; insolatio, morbi suppressi et speciatim crusta lactea, scabies, otorrhea, tinea, herpes; exanthematum retrocessus; usus damnandus remediorum sopientium, et praesertim opii, odores fragrantes, abusus stimulantium,

inflammatio partium capitis, nec non remotarum.

Quoad causam proximam, seu morbi conditionem pathologicam, nonnulli sistere defendunt in debilitate cerebri partiali qua functio tollitur vasorum absorbentium. Alii irritationem credunt esse cerebralem. Probabilior vero opinio, et quae fere omnibus medicis recentioribus arridet, illa est eorum qui esse autumant nonnisi inflammationem modo cerebri, modo meningum cui subsequitur hypoclepsis aerosa. Sed quamvis nonnunquam in necroscopiis inflammationis cerebralis, aut meningitis praecessae signa non desint, tamen in aliis nec rarioribus casibus nulla phlogosis vestigia in cadaveribus observantur; dein morbi symptomata constantiora ejusdem decursus valde differant a phoenomenis et decursu encephalo-meningitis. Quo de re mihi videtur aliquid specifici adesse in conditione morbosa hydrocephali acuti infantum, quod adhoc tenebris obvolvitur. Quae morbosa conditio specifica fere semper processu phlogistico comitatur, sed nonnunquam absque eo existere queit.

§. VII.

Gravissimus inter omnes morbos est certe hydrocephalus acutus infantum, utpote qui naturae viribus vix nunquam cedit, artis quoque opem leviori solum in casu felici coronat suc-

cesso; et si interdum medicus mortem praecavere possit, rarissima mala postuma, et ipsa non levia, uti sunt Caecitas, Cophosis, Fatuitas, Epilepsia, Hemiplegia, Hydrocephalus chronicus removere valet. Semper et absolute lethalis est hydrocephalus acutissimus, ortus ut plurimum ex adfectione metastatica. Etiam gradus mitior, si signa adsunt exsudationis factae, medicinam non admittit, nam etiamsi auxiliis therapeuticis promptioribus ulterior seri secretio arceatur, sanitas non obtinetur, sed solum ad menses vita aliunde miserrime protrahitur. Salus solum speranda, ubi morbus mitior est, et medicus primis morbi temporibus accersitus, morbum dignoscens, medicamina accomodata practico ingenio et circumspectione summa in usum vocat; et spem firmissimae salutis aegri habere possumus, si gravia phoenomena, tali modo imminuta aut evanita nec diebus duobus tribusve elapsis in conspectum veniant. Medicus enim si symptomata de repente per horas, aut diem tantummodo sileant de spe sanationis perfectae redituras superbire non debet; quia nonnunquam omnia phoenomena disparent, functiones redeunt vitales, sed post viginti quatuor horas scena mutatur, impetu morbus ingruit horribili et medicum illudit.

§. VIII.

Si hydrocephalus acutus infantum jam evolutus naturae medicatricis viribus et artis auxiliis vix unquam cedit, Medici cura maxima esse debet in morbo praeservando. Hujusmodi morbi prophylaxis in eo consistit, ut causae quae eum diximus posse excitare, evitentur. Potiora ideo momenta prophylactica erunt capitis positio altior tam in decubitu, quam in corporis exercitiis, custodia a violentiis externis, cauta cura morborum cutis, otorrheae etc. ne suppressiones aut retrocessus locum habeant; cutis mundities; tempore dentitionis prompta hirudinum adplicatio ad caput, nec non revellentia statimac cephalea cum faciei rubore manifestatur; fuga capitis refrigerii, insolationis, odorum fragrantium; abstinentia ab alimentis et potibus calefacientibus, et a pharmacis narcoticis; alvi libertas et similia. Usus revellentium et diureticorum circa tempus suspectum infantes servare potest, quorum familia hydrocephalus acutus morbum sistit haereditarium.

Morbo praesente seu initiante, causas, e quibus originem traxit investigandas sunt, et eas auferre saltem si possibile foret. Si aeger vegetus sit et firmioris contextus, si facies rubra sit accensa, oculis splendentibus; si caput valde doleat et caleat, pulsus frequentes duri ac vibrantes tangantur, congestionem ac impul-

sum ad caput statim frenare opportet. Ad hoc, aegro ante omnia decumbente in cubile obscuro frigidiusculo, capite elevato, et corporis animique quiete, praeprimis sanguinis missio est necessaria, cujus emolumentum omnibus saepe praecellit remediis. Ad aetatem tamen et aegrotuli constitutionem animum intendat Medicus in sanguinis depletionum usu determinando. Infantes, quo saniores prius et vegetiores eo majorem sanguinis missionem perferunt. Ante annum quartum venae sectiones non suadendae, sed ante hoc tempus hirudines ad tempora, aut retro aures et ad collum praeferunt medici, quarum ope ante septimum mensem duo aut tres sanguinis unciae mittuntur, a septimo mense ad annum tres vel quatuor ancias; a secundo ad quartum annum, quatuor unciae aut quinque. Post dictum tempus aut hirudinibus aut venae sectione major sanguinis copia extrahitur quo ultra hanc aetatis periodum malo corripiuntur. Praeter sanguinis missionem epithemata frigida et glacialia capiti sunt imponenda, sed aqua purissima, non fomentis Schmuckeri, quia levissimus licet stimulus in encephali evitari debet vicinitate. Irritantia seu epispastica ad pedes aut crura non negligenda; infantibus tenellis sufficit panis fermentum plantae pedis adplicitum, aut pedes implicare pannis laneis aqua farina seminum synapis mixta madefactis; synapismi et vesi-

cantia conveniunt infantibus duorum saltem annorum; admoventur plantis pedum, serius suris, brachiis, nuchae. Clysmata quoque uti derivantia repetitis vicibus applicantur, aqua tepida cum melle, cum cassia. Interne nonnisi lenia eccoprotica, potus diluentes, refrigerantes, nam etiam minimae irritationes ad tubum gastro-entericum capitis morbum exacerbare valent. Imo juxta Strambium fere semper hydrocephalus acutus infantum gastro-enteriti morbus esset secundarius; qua de re statim ab initio hanc curare jubet hirudinibus et glacie ad abdomen, et clysmatibus aqua gelida et lacte paretis. Tali modo multi aegrotantes servati fuere; sed ista methodus etiam sub morbi ingressione adhibita non semper prodest. *Observatio virorum clarorum*, ait P. Frank, *nec venae sectionem nec hirudines adeo profuisse, quam aegris potius nocuisse nos advertit.* Ecce ad hoc quaenam sunt verba Burserii «In ea autem hydrocephali interni specie, quam descripsi, et » autem et vehementem vocavi, nullum artis » efficacius auxilium quidquam unquam pro» fuisse, experientia didici. Nihil, etsi febris ve» hemens, et capitis dolor urgeret, solatio fue» re, sanguinis missiones, hirudinum, cucurbi» tularum aut cantharidum adplicatio, balnea, » fotus, epispastica pedum plantis admota aliis» ve partibus, nec ipsa resolventia, nervina, pa» regorica, aut alia cujusvis facultatis».

Quam nunc exposuimus curandi methodum locum invenit donec dicta symptomata congestionis aut phlogosis cerebralis persistunt. Hisce remissis, et illis incipientia effusionis serosae in scenam venientibus in usum trahuntur remedia pharmaceutica quae specifico quasi modo agentia majorem effusionem praecavere valent. Haec inter primum tenent locum mercurialia, et praesertim calomel ab omnibus paediatris adeo celebratum, cujus meliores observantur effectus, juxta Wichmann, quando dosi minori et frequentibus vicibus, quam rationa opposita adhibetur. Porrigitur saccharo mixtum ad quartam vel dimidiam grani partem pro singula dosi; junioribus omni secunda aut quarta hora; majoribus ad gr. unum aut duo. Inunctiones fieri quoque debent unguento mercuriali, collo, pectori, cruribus, ad drachmas duas ad unciam semis spatio nychthemeri; nec vesicantium variis corporis partibus adplicatio eodem tempore est praetermittenda. Si hisce remediis medicus non obtigit morbum debellare, et symptomata pro effusione adaucta loquuntur, major calomel exposcitur dosis, et digitalis ipsi est admiscenda. Datur octava, sexta aut quarta grani pars pro dosi omni secunda hora calomel juncta: sive drachma una ad colaturam infusionis unciarum sex, omni biborio cochlear, quod inservire potest pro vehiculo ad pulveres ex calomel porrigendos. Etiam un-

guento hydrargyri grisei pro inunctionibus pulverem foliorum digitalis purpureae libentar jungunt nonnulli; e. c. ad drachmis duabus unguenti mercurialis drachmam unam pulveris digitalis

Morbo vero de die in diem in pejus ruente, et decrescentibus jam viribus, ad mortem saltem procrastinandam, leniter incitantia in usum trahuntur; cavendum tamen est ab Opio, Aetheribus, Vino qui peculiarem in vitam cerebri agnoscunt directionem. Florum arnicae infusum est practicis praedilectum, quod ex drachma semis ad uncias quinque colaturae paratum ad cochlear unum vel altarum omni bihorio porrigitur. Quando verum, phlogosi omni abecta, sensibilitas in dies labefit, fortioribus opus est stimulis; nimirum Camphora, Ammoniae praeparatis, Moscho. Quibus remediis incassum tentatis, nil superest quam ut derasis capillis universa cranii superficies, vesicatorio cooperatur. Sed fere numquam dicta tentamina felici coronantur successu; tamen aegrotantes derelinquendi non sunt, nam non in omnibus casibus possumus de stadio atque intensitate morbi tutum proferre judicium.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

1.

Non semper organicam morbi coerulei causam in sanguinis venosi et arteriosi communicatione sistere.

2.

In chlorosi haematopoiesim eminenter laesam.

3.

Vinum emicans minus inebrians.

4.

Verum contra Podagram specificum adhuc in Democritu puteo latere.

5.

Plures morbos animi firmitate sanari.

6.

Quo corpus venustius, eo animum excelsiorem.

7.

Morbos in divitibus difficilius quam in pauperibus curari.